Altera Citatio Wiclefiſtarum hodierna, in templo S. Stephani mane ante ſeſſionem lecta.

In MSC. Brunſv. Lipſ. & Goth.

SAcroſancta ſynodus in ſpiritu ſancto congregata, generale Concilium Conſtantienſe faciens, univerſalem Eccleſiam militantem repræſentans, mandat, in audientia publica literarum contradictarum Domini noſtri Papæ *citari*, & citat, quoscunque, damnatam memoriam hæreſinque & dogmata perverſa quondam Johannis Wicleff damnandæ memoriæ defenſare volentes, ac perfidam doctrinam ejusdem JOHANNIS WICLEFF dogmatizantes, aut etiam quibusvis rationibus vel apparentibus fucatis ſophiſmatibus defenſare præſumentes, quatenus *hodie compareant Conſtantiæ in Eccleſia majori, in publica ſeſſione*, poſt miſſam de Spiritu Sancto celebrandam, hora tertiarum, ad videndum & audiendum, dictum quondam JOHANNEM WICLEFF definitive pronunciari, & declarari, fuiſſe, dum vixit, notorium hæreticum & pertinacem, ipſiusque memoriam & errores, perverſasque doctrinas & dogmatizationes, & præſertim quadraginta quinque articulos, condemnari, & ejusdem oſſa, ſi ab aliorum fidelium oſſibus ſecerni poſſint, exhumari & projici, vel ad dicendum & proponendum ac allegandum cauſas rationabiles, ſi quas allegare voluerint, cur præmiſſa fieri non debeant: Alioquin ad præmiſſorum executionem & ulteriora autore Deo procedetur, prout orthodoxæ fidei fundamentum exegerit, ratioque dictaverit & juris ordo, citatorum contumacia ſeu abſentia non obſtante. *Datum Conſtantiæ, quarta menſis Maji*, Pontificatus JOHANNIS Papæ XXIII, anno quinto.

SESSIO GENERALIS VIII.

in templo Cathedrali, Præſente Cæſare Sigismundo, Præſide Johanne Oſtienſi, Cardinale ViceCancellario.

d. 4. Maji A. 1415.

eodem die Sabbati, 4. Maji, A. 1415.

Memoria Wiclefi cum libris damnata.

In Vindobonenſi Codice Dorriano argumentum hoc comparet.

In MSC. Vindobon. Dorr.

Seſſio octava in ordine, anno M CCCC XV. In qua Dominus noſter Rex proceſſit contra Fridericum, Ducem Auſtriæ, & dominium ejus, manu armata &c.

Die Sabbathi, quarta menſis Maji, fuit ſeſſio generalis in eccleſia cathedrali Conſtantiæ. In qua more ſolito, officio miſſa cantato cum ceteris ſolennitatibus, tandem fuerunt condemnati per totum concilium articuli quondam damnatæ memoriæ Johannis Wicleff, quorum ſunt XLV in numero, & ſuorum ſequacium, ſcilicet Johannis Huß & aliorum, & oſſa dicti Wicleff, ſi ab aliorum oſſibus fidelium ſeparari poſſint & ſecerni, exhumari & extra cœmeterium projici mandari, aliasque pronunciari, decerni, declarari, definiri atque fieri, quod juſtum fuerit, atque expediens fidei orthodoxæ. Item in eadem ſeſſione decreta fuit una citatio contra omnes defenſare volentes doctrinam Johannis Wicleff, & inſerti & pronunciati fuerunt XLV articuli damnati dicti Wicleff. Et decreta fuit tandem una ſententia per dictum concilium contra dictos defenſores &c.

Item in eadem ſeſſione decreta fuit una citatio contra Dominum Johannem Papam XXIII. ex eo, quod fugerit ex civitate Conſtantienſi. Qua citatio fuit affixa porta, per quam exitur ad Schaffhuſen, per quam exivit.

Item in eadem ſeſſione Dominus Romanorum Rex propoſuit concilio, quomodo preparaſſet

rasset exercitum contra Fridericum, Ducem Austriæ, ex eo, quia abduxisset Papam Johannem XXIII noctis tempore, ipso die S. Benedicti &c. & multa alia, quæ in originali continentur. Et quod concordatum fuit per Concilium, quod Dominus Dux Austriæ deberet recipi ad gratiam per Dominum Romanorum Regem, ex quo peteret gratiam, & multa alia.

In MSC. Vindob. Elstravv. In *Codice Vindobonensi Elstravviano*, Parte I. f. 99. a. b. hoc sistitur argumentum: *Die Saturni, 4. mensis Maji, cantavit missam solennem Dominus Johannes Patriarcha Antiochenus, Præsidente Domino Johanne Cardinale Ostiensi. Petitum cum instantia, ut condemnarentur articuli Wiclef & illius memoria, cum de ejus pœnitentia non constaret, imo in erroribus impœnitens discessisset. Et producta est citatio contra eos, qui sua putarent interesse, aut defendere vellent articulos aut memoriam Wiclef, ad audiendum sententiam &c. Et quia nullus comparuit, prolata est sententia per organum Domini ArchiEpiscopi Januensis, de mandato Concilii, assistentibus sibi 4. Prælatis in Pontificalibus 4. Nationum. Et legebat prius Capitulum Firmiter, De summa Trinitate. Et Episcopus Tolnensis* [Tolonensis] *fecit sermonem ad Clerum. Ubi puram dixit veritatem de Papa & Cardinalibus. Benedicatur anima Domini Episcopi. De Papa dixit, maledicatur caro sua, Et alibi: Verè ipse ita mentitur, sicut si dicerem, Deus non est trinus & unus.*

In MSC. Wolfenb. *In MSC. Wolfenbuttelensi hoc compendium:* Die sabbati, 4. mensis Maji prædicti, fuit Sessio generalis in Cathedrali Ecclesia Constantiensi supradicta. In qua more solito fuit dictum officium missæ per Reverendissimum in Christo Patrem Dnum Johannem Patriarcham Antiochenum de beata Virgine. Quo officio completo legebantur litaniæ, ut in sessionibus fieri consvetum est. Cum Evangelio, Attendite à falsis Prophetis &c. In qua Sessione inter Cardinales præsidebat Dn. Johannes Episcopus Ostiensis, Cardinalis Vivariensis. In qua etiam Sessione fuit Serenissimus Romanorum Rex tanquam Imperator, cum insigniis regalibus & suis nobilibus. Et Dnis, Pileo, ArchiEpiscopo Januensi, electo ad legendum quæ legi debebant nomine Concilii, reverendis Patribus Dnis Johanne Episcopo Luthomislensi pro natione Germanica, Antonio Episcopo Concordiensi, pro natione Italica, Tholonensi Episcopo pro natione Gallicana, & Guillelmo Abbate Monasterii S. Mariæ extra muros Eboraci pro natione Anglicana, ad approbandum loco & nomine Nationum ascendentibus: In loco, in quo hujusmodi juxta determinationem Synodi fieri debebant, idem Rev. Pater Dn. Pileus, ArchiEp. Januensis, in ambone legit primo capitulum, Firmiter credimus. Quo lecto, Dni, Imperator, Præsidens, & alii approbarunt, & ita crediderunt. Deinde legit sententiam damnationis doctrinæ Johannis Wicleff & articulorum XLV. Vid. infr.

In MSC. Brunsv. Lips. & Goth.

In MSC. Brunsv. Lips. & Goth. *Die Sabbati, quarta mensis Maji* supradicti, fuit sessio generalis, in Cathedrali Ecclesia Constantiensi supra dicta, ad hoc specialiter deputata.

In qua more solito fuit dictum officium missæ per Reverendissimum in Christo patrem, Dominum JOHANNEM *Patriarcham Antiochenum* de beata virgine. Quo facto & cantato, fuit cantatus introitus, *Exaudi nos Domine*, cum collectis suis & litaniis ac Evangelio: *Attendite vos à falsis Prophetis*, & aliis orationibus, & hymno: *Veni Creator Spiritus*, sicut in aliis sessionibus.

In qua sessione inter Cardinales *præsidebat* Dominus *JOHANNES Episcopus Ostiensis*, Cardinalis Vivariensis,

In qua quidem sessione sedebat Serenissimus *Romanorum & Hungariæ Rex, tanquam Imperator*, cum insigniis Regalibus. Cui inter Cardinales adstabant Domini JORDANUS DE URSINIS, & ANGELUS *Laudensis, Albanensis & Tusculanensis* Episcopi.

Præsentibus ibidem Reverendissimis Patribus, *GUILELMO sancti Marci, ANTONIO De CHALANCO, AMADEO Saluciarum, LUDOVICO De FLISCO, LANDULPHO Barensi, & FRANCISCO Florentino*, Cardinalibus.

Deinde omnibus his peractis, Reve-

rendus Pater Dominus *VITALIS, Episcopus Tholonensis*, natione Gallicanus, ascendebat ambonem, & fecit *sermonem ad clerum*, cum themate: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem &c.*

Quo sermone facto, surrexerunt Magistri *HENRICUS De PIRO & JOHANNES De SCRIBANIS*, promotores & procuratores Concilii & Synodi. HENRICUS loquens præsentavit *citationem ad valvas Ecclesiæ majoris Constantiensis, & audientiæ contradictarum affixam*, nec non unam *aliam*, in audientia causarum lectam. Et *citatorum* in eisdem citationibus non comparentium, neque memoriam, hæresinque ac dogmata quondam JOHANNIS WICLEFF minime, quare condemnari non debeat, videre curantium, *contumaciam accusaverunt*, ipsosque contumaces reputari petierunt, & in eorum contumaciam definitive pronunciari, decerni & declarari, dictum quondam JOHANNEM WICLEFF fuisse, dum vixit, notorium hæreticum, & pertinacem, ac finaliter decessisse ab hac luce impœnitentem, ipsiusque memoriam, errores, prætensas doctrinas & dogmatizationes, & præsertim 45. *ac CCLX articulos* per eum conclusos, *condemnandos* fore, & per sanctam Synodum Constantiensem, ac paternitates quatuor Prælatorum, pro præsenti die potestatem habentium, loco & nomine quatuor nationum, condemnari, & *ejus ossa*, si ab aliorum fidelium ossibus separari possint & secerni, *exhumari* & projici mandari, aliasque pronunciari, decerni, declarari, definiri, atque fieri, quod justum fuerit, & expediens fidei orthodoxæ, instanter postulaverunt.

Vid. infra.

Tunc dictis Dominis, *PILEO, Archi Episcopo Januensi*, electo ad legendum, quæ legi debebant nomine Concilii & Synodi atque publicari, Reverendis Patribus Dominis, *JOHANNE Episcopo Lutomislensi* pro natione Germanica, *ANTHONIO Episcopo Concordiensi* pro natione Italica, VITALI *Tholonensi Episcopo* pro natione Gallicana, & *WILHELMO Abbate Monasterii beatæ Mariæ extra muros Eboraci*, pro natione Anglicana, ad approbandum loco & nomine nationum *ascendentibus*: Et in loco, in quo hujusmodi fieri juxta determinationem sanctæ synodi debebant: Idem Reverendissimus Pater *PILEUS ArchiEpiscopus Januensis* primo legebat capitulum; *Firmiter credimus &c.*

Quo lecto, Dominus *Imperator*, Præsidens, & alii approbaverunt, & ita crediderunt.

Et ulterius *idem ArchiEpiscopus Januensis in contumaciam* prædictorum accusatorum per dictos promotores & procuratores *pronunciavit*, definivit, & declaravit, prout in quadam *papyri pronunciationis schedula*, cujus tenor inferiùs est insertus, plenius continetur, *condemnando memoriam* ipsius JOHANNIS WICLEFF & suorum sequacium, quoad *XLV. articulos*, condemnatos in Parisiensi & Pragensi studiis.

Vid. infra.

Non sunt publicati.

Et licet quoad *ducentos & sexaginta articulos* incepisset legere, & omnes fuissent contenti de *XLV. articulis lectis*: Primo tamen ex interruptione Domini GUILIELMI Cardinalis sancti Marci interveniente, ipsi *ducenti & sexaginta articuli* & eorum lectura & condemnatio, fuerunt *reservati ad proximam sessionem generalem.*

Super quibus, lectura, publicatione, pronunciatione & definitione sive condemnatione, dicti promotores petierunt approbationem à Domino Præsidente. Et à dictis Lutomislensi, Concordiensi, Tholonensi, & Abbate, petierunt responderi, *an placeret.* Domini vero prædicti, primo Dominus JOHANNES *Episcopus Ostiensis* Præsidens, approbavit. Consequenter dictæ quatuor Nationes & quilibet pro Natione sua Prælatus, approbaverunt.

Super quibus iidem promotores Henrico loquente petierunt per Reverendos Patres Dominos sedis Apostolicæ protonotarios cæterosque Notarios Nationum IV. & tabelliones quoscunque ibidem præsentes, unum vel plura publicum vel publica fieri instrumentum vel instrumenta. Præsentibus ibidem illustribus Principibus, Dominis, *Rompoldo Duce Slesiæ, Friderico Burggravio Nurenburgensi, Ludovico Duce Bavariæ, Johanne Comite de Friburg, Johanne Jacobo filio Marchionis Montferrati, Johanne de Vice Comitibus de Mediola.*

diolano, Nicolao Stephani de Hungaria, nec nõ Poloniæ, Norwegiæ, Sueciæ, Daciæ, Cipriæ & Franciæ *Regum Ambasiatoribus* & multitudine Christianorum copiosa.

Sententia condemnatoria articulorum Johannis Wicleff, per Pileum ArchiEpiscopum Genuensem prælecta.

In MSC. Br. Lips. Goth. Vin. Elst. P. I. f. 99. b. & Dorr. ut & Wolf. aliisq; pluribus.

Sacrosancta Constantiensis synodus, generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, ad extirpationem præsentis schismatis, errorumque & hæresium, sub ejus umbra pullulantium, eliminationem, & reformationem Ecclesiæ, in Spiritu S. legitime congregata, ad perpetuam rei memoriam. Fidem Catholicam, sine qua, ut ait Apostolus, impossibile est placere Deo, à falsis ejusdem fidei cultoribus, imo perversis impugnatoribus, & superba curiositate intendentibus plus sapere quam oportet, mundi gloriam cupientibus, oppugnatam sæpius, & contra illos per fideles Ecclesiæ milites spirituales opposito scuto fidei defensatam fuisse, sanctorum Patrum scripturis atq; gestis instruimur. Hæc quippe bellorum genera in bellis carnalibus Israelitici populi adversus gentes idololatras præsignata fuerunt. In his itaque spiritualibus bellis sancta Ecclesia Catholica, in fidei veritate superni luminis radiis illustrata, Domino providente, & sanctorum patrocinio opem ferente, semper immaculata permanens, erroris tenebris velut hostibus profligatis gloriosissime triumphavit. Nostris vero temporibus vetus ille & & invidus hostis nova certamina, ut probati temporis hujus manifesti fiant, suscitavit. Quorum dux & princeps extitit quondam JOHANNES WICLEFF, pseudo Christianus, qui dum viveret, adversus religionem Christianam & fidem Catholicam pertinaciter *asseruit* & dogmatizavit plures *articulos*, quorum *quadraginta quinq;* huic paginæ duximus inserendos, qui sequuntur.

In MSC. *Codice quodam Lipsiensi, res Hussi complexo*, dum hoc decretum condemnatorium recensitum, *articuliq;* enumerantur qui publice prælecti & damnati, singulis articulis *rationes* decisionis aut *condemnationis* sunt adjectæ, quas recensuimus ex hoc *Codice MSC.* supra, Tomo III. *Parte XII.* Et vero omnino simile, non absq; omni ratione additâ tam nude fuisse enumeratos & damnatos articulos. Ut laudatæ *censuræ* cum articulis in hoc decreto prælectæ dici possent. Quo & videtur collimare *Spondanus*, quando ait decreto insertos fuisse articulos Wiclefi, *una cum rationibus & argumentis sive ut vocant motivis damnationis singulorum illorum quadraginta quinq;*. Ceterum, quod in aliis Codicibus *MSCtis Actorum* non deprehenderentur, horum hic potius vestigia legere maluimus; Satius fore rati, in monumentorum Constantiensium cumulo *Tomo III. Parte XII.* ex laudato *MSC. Lipsiensi* stitisse. Maxime, quod sub decreti finem *summa rationum* sit expressa. Ex quo quis colligat, longum satis rationum libellum *in hac condemnatione* non fuisse prælectum. En ergo *articulos*, uti in *Actorum Codicibus MSCtis* leguntur.

Articuli XLV. Wiclefi, publicâ sententiâ nunc condemnati, per Pileum ArchiEpiscopum Genuensem prælecti.

I. Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, manent in sacramento altaris.

II. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento.

III. Christus non est in eodem sacramento identice & realiter in propria persona [in Vind. Lips. & Goth. præsentia] corporali.

IV. Si Episcopus vel sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, nec baptizat.

V. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus missam ordinarit.

VI. Deus debet obedire diabolo.

VII. Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

VIII. Si Papa sit præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi forte à Cæsare.

IX. Post URBANUM sextum non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.

X. Contra Scripturam sacram est, quod viri Eccle. habeant possesiones.

XI. Nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat, eum excommunicatum à Deo, & qui sic excommunicat, fit hæreticus ex hoc, vel excommunicatus.

XII. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem & ad concilium regni, eo ipso traditor est Regis & regni.

XIII. Illi qui dimittunt prædicare, sive verbum Dei audire, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die judicii traditores Christi habebuntur.

XIV. Licet alicui diacono vel presbytero prædicare verbum Dei absque autoritate sedis Apostolicæ vel Episcopi Catholici.

XV. Nullus est Dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

XVI. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solo actu delinquentibus.

XVII. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

XVIII. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.

XIX. Speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos vel religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, cæteris paribus.

XX. Conferens eleemosynam fratribus, est excommunicatus eo facto.

XXI. Si quis ingreditur religionem privatam qualemcunque, tam possesionatorum, quàm mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.

XXII. Sancti instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

XXIII. Religiosi viventes in religionibus privatis, non sunt de religione Christiana.

XXIV. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem. *Prima pars est scandalosa & præsumtuosè asserta, pro quanto sic generaliter & indistincte loquitur: Et secunda erronea, pro quanto asserit, mendicitatem fratribus non licere.*

XXV. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

XXVI. Oratio præsciti nulli valet.

XXVII. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

XXIIX. Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

XXIX. Universitates, studia, collegia, graduationes & magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ sicut diabolus.

XXX. Excommunicatio Papæ vel cujuscunque prælati non est timenda, quia est censura AntiChristi.

XXXI. Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt viri diabolici.

XXXII. Ditare clerum est contra Christi mandatum.

XXXIII. SYLVESTER Papa & CONSTANTINUS Imperator erraverunt Ecclesiam dotando.

XXXIV. Omnes de ordine mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.

XXXV. Ingredientes religionem aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles sunt

ſunt ad obſervandum divina præcepta, & per conſequens perveniendi ad regna cœlorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem.

XXXVI. Papa cum omnibus clericis ſuis poſſesſionem habentibus ſunt hæretici, eò, quod poſſesſionem habent, & omnes conſentientes eis, omnes ſcilicet Domini ſeculares, & laici cæteri.

XXXVII. Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ, nec Papa eſt immediatus & proximus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum.

XXXIIX. Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à fide Chriſti, & clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eas.

XXXIX. Imperator & Domini ſeculares ſeducti ſunt à diabolo, ut Eccleſiam dotarent de bonis temporalibus.

XL. Electio Papæ à Cardinalibus per diabolum eſt introducta.

XLI. Non eſt de neceſsitate ſalutis, credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias. *Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur univerſalis Eccleſia, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum ſummi Pontificis ſuper alias Eccleſias peculiares.*

XLII. Fatuum eſt, credere indulgentiis Papæ & Epiſcoporum.

XLIII. Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia civilia.

XLIV. AUGUSTINUS, BENEDICTUS & BERNHARDUS damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſesſiones, & inſtituerunt, & intraverunt religiones. Et ſic à Papa uſque ad infimum religioſum omnes ſunt hæretici.

XLV. Omnes religiones indifferenter introductæ ſunt à diabolo.

Libri VWiclefi damnati.

Idemque JOHANNES WICLEFF *libros, Dialogum & Trialogum*, per ipſum nominatos, & plures *alios tractatus*, volumina & opuſcula compoſuit, in quibus præſcriptos & plures alios damnabiles inſeruit & dogmatizavit articulos. Quos *libros* ad ſui perverſi dogmatis publicationem publice legendos expoſuit. Ex quibus inſuper multa ſcandala, damna, animarumque pericula in diverſis regionibus, præſertim Angliæ & Bohemiæ regnis, ſecuta ſunt.

Adverſus quos articulos atq; libros in Dei virtute exſurgentes Magiſtri & Doctores univerſitatum & ſtudiorum Oxonienſis & Pragenſis, articulos prædictos ſcholaſticè diu poſt reprobaverunt. Reverendiſſimi inſuper Patres, Archi-Epiſcopi & Epiſcopi pro tempore Cantuarienſis & Eboracenſis, ſedis Apoſtolicæ legati, in Angliæ, Pragenſis & Bohemiæ regnis, condemnarunt. Libros etiam ejuſdem WICLEFF comburendos fore, dictus ArchiEpiſcopus Pragenſis, ſedis Apoſtolicæ Commiſſarius, in hac parte, ſententialiter judicavit, & eorum, qui ſupereſſent, prohibuit lectionem.

Rurſus his ad notitiam ſedis Apoſtolicæ & generalis Concilii deductis, *Romanus Pontifex* in Concilio Romano, ultimò celebrato, dictos libros, tractatus & opuſcula *condemnavit, jubens illos publice concremari*, diſtrictius inhibendo, ne quis Chriſti nomine inſignitus, auderet aliquem vel aliquos, ſeu aliqua ex dictis libellis, voluminibus & tractatibus ac opuſculis legere, exponere, docere, vel tenere, aut illis quomodolibet uti, vel illos, niſi in ipſorum reprobationem, allegare, publice vel occulte. Et ut de medio Eccleſiæ illa periculoſa, ſpurciſſimaque doctrina eliminaretur, juſſit, omnes, per locorum ordinarios, libros, tractatus, volumina & opuſcula hujusmodi, autoritate Apoſtolica per cenſuram Eccleſiaſticam, etiam, ſi opus eſſet, cum adjectione, quod contra non parentes procederetur, tanquam contra fautores hæreſis, diligenter inquiri, & repertos ac reperta ignibus publice concremari.

Hæc autem ſancta *Synodus* præfatos *articulos quadraginta quinq; examinari fecit*, & ſæpius recenſeri per plures Reverendiſsimos Patres, Eccleſiæ Romanæ Cardinales, Epiſcopos, Abbates, Magiſtros in Theologia, Doctores juris utri-

Varias Conſtant. Theologorum Cenſuras Vide ſupr. Tom. II. Parte. XII, XIII.

utriusque, & plures notabiles, in multitudine copiosa. Quibus *articulis examinatis* fuit repertum, prout in veritate est, aliquos & plures ex ipsis fuisse & esse notorios hæreticos, & à sanctis Patribus dudum reprobatos, alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos & blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios & seditiosos. Compertum est etiam, libros ejus plures alios articulos continere similium qualitatum, doctrinamque in Dei Ecclesia vesanam & fidei ac moribus inimicam inducere.

Propterea in nomine Domini nostri Jesu Christi hæc sancta Synodus *sententias prædictorum ArchiEpiscoporum ac Concilii Romani ratificans* & approbans, *prædictos articulos* & eorum quemlibet, libros ejusdem, *Dialogum & Trialogum*, per eundem WICLEFF nominatos, & *alios ejusdem autoris libros*, volumina, tractatus, & opuscula, quocunq; nomine censeantur, quos hic haberi vult pro sufficienter expressis, hoc perpetuo decreto *reprobat & condemnat*, eorundem librorum, & cujuslibet ipsorum lectionem, doctrinam, expositionem & allegationem, nisi ad eorum reprobationem, omnibus Christi fidelibus prohibendo: Inhibens omnibus & singulis catholicis sub anathematis interminatione, ne de cetero dictos articulos, aut ipsorum aliquem audeat publice prædicare, dogmatizare, vel tenere, sive libros ipsos docere, approbare & tenere, vel quomodolibet nisi ad eorum reprobationem ut dictum est allegare: Jubens illos libros & tractatus, volumina & opuscula prælibata, publice concremari, prout decretum fuerat in Synodo Romana, sicut superius est expressum. Super quibus exequendis, & debite conservandis, mandat prædicta sancta Synodus Ordinariis locorum vigilanter intendere, prout ad quemlibet pertinet, secundum jura & canonicas sanctiones.

Alii Articuli CCLX. in VViclefo damnati.

Quia vero libris prædictis diligenter examinatis per Doctores & Magistros universitatis studii Oxoniensis, ultra dictos quadraginta quinque, *articulos ducentos & sexaginta* excerpendo collegerunt, quorum aliqui cum supradictis in sententia coincidunt, licet non in eadem forma verborum, & sicut de aliis dictum superius extitit, quidam ipsorum erant & sunt hæretici, quidam seditiosi, quidam erronei, alii temerarii, nonnulli scandalosi, alii insani, nec non omnes pene contra bonos mores & catholicam veritatem fuerunt: Propterea scholastice per dictam universitatem debite reprobati: *Hac* igitur *synodus* sacrosancta cum deliberatione, qua supra, *prædictos articulos* & eorum singulos *reprobat & condemnat*: Prohibens, inhibens, mandans & decernens, prout de aliis XLV. superius est expressum. Eorundem autem *ducentorum sexaginta articulorum tenorem* duximus inferius inferendum.

Hi articuli 260. in omnibus nostris MSCtis haud reperti.

Concilium pronunciat hæreticum Johannem VViclef, & condemnat memoriam ejusdem, & mandat exhumari ossa ipsius.

Insuper, quia autoritate sive *decreto Romani Concilii*, mandatoque Ecclesiæ & sedis Apostolicæ, datis *dilationibus* debitis, processum fuit super condenatione dicti WICLEFF & suæ memoriæ, edictis propositis denunciationibusque ad vocandum eos, qui eundem sive ejus memoriam defendere vellent, si qui penitus existerent, nullus vero comparuit, qui eundem vel suam memoriam defensaret: Examinatis insuper testibus super impœnitentia finali, pertinaciaque dicti WICLEFF, per commissarios, deputatos per Dominum JOHANNEM Papam modernum, & hoc sacrum Concilium, servatisque servandis, prout in tali negotio postulat ordo juris, de ejus impœnitentia & finali pertinacia, per evidentia signa testibus legitimis comprobata, fuit legitime facta fides: Propterea instante Procuratore fiscali, edictoque proposito, ad audiendam sententiam ad hunc diem, hæc sancta synodus, declarat, definit, & sententiat, eundem JOHANNEM WICLEFF fuisse

fuisse notorium *hæreticum*, *pertinacem*, ac in hæresi decessisse anathematizatum, *ipsum* pariter & suam *memoriam condemnando*. Decernitque & ordinat, *corpus ejus & ossa*, si ab aliis fidelium coporibus discerni possint, *exhumari*, & procul ab ecclesiastica sepultura jactari, secundum canonicas & legitimas sanctiones.

In MSC. Wolffenbuttelensi Acta hujus sessionis hac clauduntur formula:

Super quibus, lectura, publicatione, pronunciatione & definitione sive condemnatione, Dominus Ostiensis, Præsidens, & dicti quatuor Nationum quatuor Præsidentes, interrogati, an placeret? Responderunt omnes, & primo Ostiensis, deinde nationum Præsidentes, quod placeret. Et approbaverunt omnia prædicta.

Prima vice publice citatus Constantiæ Johannes Papa 23. in valvis portæ Helveticæ.

eodem die Sabbati, post Sessionem publicam, 4. Maji, A. 1415. *d. 4. Maj. A. 1415.*

In MSC. Lips. hoc tit.

Executio citationis contra Johannem Papam in portis Constantiensibus.

In MSC. Brunsv. Lips. & Goth.

SUbsequenter, dicta sessione, ut præmittitur, *facta*, de mandato Dominorum præsidentium quatuor nationum Giselerus de Boventen & ego, notarii nationis Germanicæ antedictæ, (in MSC. Goth. de mandato Dominorum de dicto Concilio, & ipsius sacri concilii ac præsidentium quatuor nationum, nos, GUMBERTUS FABRI, & GISELERUS *de* Boventen, clerici Moguntinensis diœceseos, *notarii nationis Germanicæ* antedictæ) accessimus ad portam vulgâriter SVETZPORTEN nuncupatam, civitatis Constantiensis, *per quam Papa JOHANNES prædictus dicitur fugisse*, pro executione ulteriori ipsius citationis. Ibidemque dictam *citationem contra eum decretam*, sigillatam & subscriptam, valvis (clavis) dictæ portæ affiximus, eamq; affixam & extensam stare permisimus per temporis spatium, & deinde amovimus, & loco ejus ibidem copiam in papyro affiximus, & stare permisimus. Præsentibus ibidem providis viris, Magistro PETRO VANINI notario publico, GODEFRIDO WOLCZEN, & HENRICO OP DER BORDE, clericis, Leodiensis, Moguntinensis & Hildessemensis diœceseos, testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Plena & curata descriptio hujus citationis, non solum in portis sed & templis urbis affixæ, recensita infra in publica sessione die 13. Maji.

Congregatio generalis Nationis Germanicæ In Monasterio Franciscanorum

eodem die Sabbati, circa vesperam, 4. Maji, A. 1415.

De rebus pacis & unionis Ecclesiæ.

In MSC. Brunsv.

DIe Sabbati eadem, hora vesperorum, fuit congregatio generalis nationis germanicæ.

In qua primo M. *Johannes Stalberch*, tanquam Præpositus Ecclesiæ S. Severi Erfordensis fuit intitulatus & juravit.

Subsequenter fuit ibidem per Dominum *Johannem Abundi* ex parte Dominorum Præsidentium propositum, qualiter ex consultatione certorum *Zelatorum unionis Ecclesiæ* Dei *deberet natio deputare tres* providos & discretos, qui haberent tractare materiam unionis, juxta informationem dictorum Zelatorum. Et quia illa essent, ipsis revelata, secreta & arcana, ideo non esset expediens, neque necessarium, committi pluribus. Quia timeretur, quod fraus intervenire posset, sive aliqua revelatio, quæ multũ foret nociva. Cũ dicta materia concernat *practicã* ad habendam unionem in Ecclesia Dei. Et quia, practica dimissa, forsan per modica obstacula posset impediri prædicta unio in Ecclesia.

Et fuit deliberatum per omnes, qvod

quod deberent eligi tres de quinque alias electis super materia unionis.

Et per illos quinq; fuerunt *electi* hi: Videlicet, Domini, *Nicolaus Archi Episc. Gneznensis, Petrus Episcopus Ripensis, Albertus Episcopus Ratisbonensis*, super materia unionis.

Tres Cardinales fugitivi Schafhusâ Constantiam reversi in quibus & Oddo de Columna, Pontifex tandem Constantiæ creatus.

eodem die Sabbati, 4. Maji, A. 1415.

Invitati à Cæsare & Concilio plus simplici vice Cardinales & Curiales, Schafhusæ hærentes, datis salvis conductibus, Concilio sese redunirent. Etsi vero hæsitarent, arma tamen Cæsaris & infractum Patrum pro Concilii integritate studium intuiti, sibique haud bene ex absentia augurati aliqui, hodie reversi, *Niemo* teste, supr. *Tom. II. f.* 405. *Die quarta mensis Maji redierunt ad Constantiam de Schafhusa* de Brancatiis & de Columna, *nationis Romanæ*, & Tricaricensis *nationis Neapolitanæ, nepos dicti Balthasaris, Cardinales.* Bono profecto aut favente genio motus *Otto de Columna, Cardinalis*, qui tempestive Constantiam rediret: Non absens, & Concilii indignationem promeritus, sed præsens, favore Patrum munitus, *in Papalem thronum* gemino labente anno Constantiæ *evehendus.* Ut inscios, tantum non invitos, magni sæpe comitantur aut sequuntur honores.

Plurimi Curiales Johannis 23. Friburgo à fuga Constantiam reversi

eodem hoc die Sabbati, 4. Maji, A. 1415.

Dissolvendi Concilii spe exciderant eum Cardinalibus Curiales, passim, Constantiâ relictâ, hærentes aut delitescentes, vel & Johannem oberrantem temere secuti. Vel metus ergo pejoris fortunæ, vel & expectatio melioris aut certioris, Constantiam illos retraxit. *Niemus* l. c. *Eadem die*, (4. Martii) *redierunt ad Constantiam multi literarum apostolicarum scriptores, & alii officiales & Curiales, qui cum ipso Balthasare fuerunt in Friburgo, & cum eo ulterius transire ad lucra captanda se posse credebant. Sed deficiente illic melle, musca ulterius frustra volare non curarunt.*

Congregatio Deputatorum IV. Nationum, Præsente Cæsare Sigismundo, in Monasterio Franciscanorum.

die Dominica ominosa Rogate, 5. Maji, A. 1415.

Fridericus Dux Austriæ, Cæsari Sigismundo se dedidit ac gratiam rogavit, cum promissione Johannem Papam Cæsaris manibus reddendi.

Apparatus ad hunc actum magnificus fuit instructus. Allectique Cæsaris jussu ad hunc actum memorabilem spectandum Legati Venetum, Mediolanensium, Florentinorum, aliarumque Italiæ urbium. Ut ex hac potentis Ducis devotione Cæsaris agnoscerent Majestatem atque potentiam, Cæsarem, illo exemplo, devotius veneraturi, potentiamque illius formidaturi.

Accessit dein, his præsentibus, Fridericus Austriacus, à Ludovico Duce Bavariæ Galliæ Legato & Friderico Burggravio Nurenbergensi ad Cæsaris conspectum deductus. Qui Cæsari Sigismundo supplices facti, flexis genubus gratiam pro Friderico Austriaco exorarunt. Quam &, fide Cæsari promissa, Fridericus Austriacus impetravit, testimonio commiserationis æque ac Majestatis hoc audito: *Doleo, te hoc promeritum.*

Dacherius fusè hanc describit celebritatem. *V. Tom. V.* Nec non *Theodoricus Vrie*, supr. *Tom. I. f.* 198. 199. *Niem*, supr. *Tom. II. f.* 405. *Fridericus Dux in publica congregatione Constantiæ, genubus flexis, diu coram Romanorum Rege, assistentibus sibi qui-*

quibusdam Principibus, & ei gratiam per Dn. Regem impendi humiliter postulantibus, de eo, quod abduxit Balthasarem, dedit se & omnia sua ad manus dicti Dn. Regis. Conf. *Nauclerus.*

In Cæsareo Vindobonensi Dorriano Codice hæc Actorum idea.

In MSC. Vindob. Dorr. f. 73. a.

Tandem Fridericus, Burggravius Nurenbergensis, se interposuit inter sacrum concilium, Dominum Regem, ex una, & dictum Dominum Fridericum, Ducem Austriæ, parte ex altera, ita, quòd dictus Dominus Fridericus dedit se & sua, & omne dominium suum, plenè & liberè ad mandatum Domini Regis Romanorum, cum additione, quod promisit reddere & reducere Papam Johannem XXIII, quem habuit in potestate sua, ad sacrum concilium Constantiense, & præsentare eum sacro concilio.

His dictis, præfatus Dominus Fridericus Dux Austriæ dixit, quod ita peteret, & humiliter supplicaret regiæ Majestati ipsum recipere ad veniam & gratiam, ponens se & sua dominia & bona quacunque in manibus & potestate ipsius Domini Regis, simpliciter disponendo ad omnem suam voluntatem, adjiciens, ut suprà, quod supplicaret, quod Papæ & suis cum eo reducendis nihil mali fiat in persona & in rebus eorum, quos abduxerit.

Quam humilitatem Serenissimus Dominus noster Rex recepit, tangens sibi manum suam. Et ulterius manibus junctis idem Dominus Dux promisit, nunquam per se, vel alium seu alios contra dictum Dominum nostrum Regem quovis modo facere, sed sibi ut fidelissimus servitor esse. Super quibus protestati sunt procuratores &c. Et super quibus omnibus præmissis fuit facta litera obligatoria in vulgari per dictum Dominum Fridericum Ducem, in qua se obligavit, & sua, ut in forma præmissa.

Item dictus Dominus Fridericus Dux Austriæ tanquam captus & captivus Regis Romanorum juravit ad civitatem Constantiensem, se nunquam exiturum sine scitu & voluntate Domini Regis, in qua civitate sic stetit per annum & ultra. Tandem propter vexationes episcopi Tridentini dicto Duci impositas nimias, ipse dux recessit, hospite insalutato, de Constantia, & venit ad Athesin, ibique stetit in discordia cum dicto Rege & dicto episcopo Tridentino, cujus ecclesiam occupaverat usque ad mensem Maji M CCCC XVIII, Ubi per preces & interpositiones Principum fuit concordatum cum dicto Domino Rege nostro, ita, ut deberet sibi reddere omnia oppida, munitiones &c. & ipse Dominus Dux deberet reddere ecclesiam Tridentinam dicto episcopo Tridentino cum omnibus suis pertinentiis.

In MSC. Brunsv. Lips. & Goth.

DIe Dominica, *quinta mensis Maji* supradicti, fuit *congregatio deputatarum quatuor Nationum*, hora quinta, *in loco, in quo natio Germanica congregari solet.*

Et primo de natione Italica fuerunt hi: Dominus *ANTHONIUS* Episcopus Ragusinus, *JACOBUS* Episcopus Adriensis, *JACOBUS* Episcopus Tarvisinus, *DONADEUS*, Episcopus Narmensis, *ALBERTUS*, Episcopus Astensis, *ANTHONIUS*, Episcopus Concordiensis, *MATTHÆUS*, Episcopus Pistoriensis, *JACOBUS RODINI*, Protonotarius, *de Janua*, *PETRUS PAULUS De Austria*, utriusq; Juris Doctor, *ARDECINUS de Novaria*, Advocatus Consistorii, *NICOLAUS* Abbas Beatæ Mariæ de Florentia, *CASPAR De PERUSIO* advocatus Consistorii, *JOHANNES De OPIZIS*, auditor palatii, *OTTOBONUS De BERTELLIS* utriusque Juris Doctor.

De Natione Anglicana. *ROBERTUS*, Episcopus Sarisburiensis. *NICOLAUS*, Episcopus Bathomensis, *JOHANNES*, Episcopus Lichfeldensis, *GUILELMUS* Corv.

De Natione Gallicana. *JOHANNES*, Patriarcha Antiochenus, *GERALDUS*, Episcopus Carcassonensis, *JOHANNES*, Episcopus Gebennensis, *VITALIS*, Episcopus Tholonensis, *MARTINUS*, Episcopus Atrebatensis, *THEOBALDUS* Archi-Episcopus Bisuntinensis, *JOHANNES*, ArchiEpiscopus Viennensis, *JOHANNES*, Episcopus Vaurensis, *GUILELMUS*, Episcopus Ebroicensis, *GUILELMUS* Pulchri-

nepotis, in Theologia, *ADAM DE CAMERACO*, *JORDANIS MORINI*, Ambassiator Regis Franciæ, *BENEDICTUS GENTIANI*, in Theologia, *JOHANNES De VILLA NOVA*, Decretorum, *JACOBUS De SPARS*, in Medicina, Doctores. *SIMON PIMART*, in artibus, de Universitate Parisiensi, *PETRUS De VERSALLIS*, in Theologia, Ambassiator Regis Franciæ, *GALTERUS CRASSI*, Prior conventus Rodi, Decretorum, *SIMON*, Abbas de Gemeticis, decretorum, Doctores. *ROBERTUS*, Abbas Monasterii sancti Laurentii supra Legerim, Ordinis sancti Augustini, Antisiodorensis diœceseos. *PETRUS CANTHON*, Licentiatus in decretis, Ambassiator Ducis Burgundiæ.

De natione Germanica. *JOHANNES*, ArchiEpiscopus Rigensis, *NICOLAUS*, ArchiEpiscopus Gneznensis, *PETRUS*, Episcopus Ripensis. *BENEDICTUS*, protonotarius, Albæ regalis præpositus. *ALBERTUS*, Episcopus Ratisbonensis. *ANDREAS*, Electus Poznaniensis. *JACOBUS*, Episcopus Plocensis. *GEORGIUS*, Episcopus Tridentinus. *PAULUS VOLADIMIRI*, Ambassiator studii Cracoviensis. JOHANNES ABUNDI, utriusque Juris, BERTHOLDUS De WILDUNGEN, auditor palatii, THEODORICUS de Monasterio, in Theologia, PETRUS DOTTINGER, in Decretis, LAMBERTUS de STIPITE, in Decretis, PETRUS de LAMBURGA, Decretorum, ALBERTUS de Nurenberg, in decretis, Doctores. Episcopus Wormatiensis. ULRICUS, Episcopus Verdensis. CONRADUS de SUSATO, in Theologia, & quamplures alii.

De Nobilibus. FREDERICUS, Burgravius Nurenbergensis. LUDOVICUS, Dux Bavariæ. ROMPOLDUS, Dux Zaganensis. NICOLAUS DE GARA, regni Hungariæ Palatinus, PIPO DE OZORA, comes Themesiensis. SIGISMUNDUS DE LOSSONTZE, miles. DAVID LAZKA De Czantis, Camerarius Regis Romanorum. LAURENTIUS DE TOR, miles de Hungaria. STEPHANUS de Rosgen, miles de Hungaria, Magister BENEDICTUS, miles regni, utriusque juris Doctor, HENNINGUS KONINGESMARKEN, Camerarius Regis Daciæ, JOHANNES DE THOLISCHOWE, Castellanus Caliciensis. ZAWISSIUS DE GORBOW dictus Niger, (in MSC. Lips. & Goth. dictus Ting.) CUNO de Scharpenstein, Vice Dominus in Renkama Moguntin. diœceseos & Ambasiator Caroli de Malatestis.

Oratio Sigismundi Imperatoris ad Concilium de Friderico Duce Austriæ, in consessum nondum admisso, sed donec vocaretur expectante, ob Papæ Johannis è Concilio fugam promotam, veniam à Cæsare petituro.

Quibus omnibus ibidem vocatis per Serenissimum Dominum SIGISMUNDUM *Romanorum & Hungariæ Regem*, dictoque Serenissimo Romanorum Rege in medio ipsorum sedente, exposuit & proposuit, qualiter *fecisset guerram* oportunam & necessariam (necessitatus) contra illustrem Principem *Ducem FREDERICUM Austriæ*. Primo ex eo: Quia idem FREDERICUS scandalizasset Ecclesiam, & concilium Constantiense, in hoc, quod *abduxit* Dominum *JOHANNEM*, *Papam XXIII. noctis tempore*: Et quod non remansit per eos, quin totaliter Concilium per talem abductionem & Papæ fugam fuisset dissolutum: Item ex eo, quod multos Episcopos, Abbates & Ecclesias spoliasset: Item quod Dominos temporales, nobiles, viduas, & orphanos spoliasset bonis hæreditariis, quorum multi propter hoc irent mendicatum per mundum: Et modò ille *FREDERICUS*, ut refertur, *vellet venire ad concordiam*, & quod guerra cessaret. Quapropter fuit consultum per Dominos deputatos, quid in hac materia deberet facere, & *qualem concordiam* debe-

deberet inire. Licet dixit, quod idem FREDERICUS forsan petat veniam & stare velit judicio, & simplici verbo Domini Regis & Concilii. Etiam quis honor ipsius Regis & ejus juramenti, quod alias dixit fecisse, quod nunquam vellet facere pacem neque treugam? Fuit per Dominos deputatos disputatum, & conclusum, quod non caderet in aliquod perjurium; Quia simpliciter reciperet eum ad misericordiam, & tanquam hominem captivum & dominium ejus captivum; Allegantes dicta multorum, quod tale juramentum in tali [præsenti] casu non habeat eum aliquo modo ligare.

Fridericus Dux Austriæ ad Cæsarem in superiorem consessum vocatus, venit, & gratiam petiit, & Papam Concilio reddere promisit, Cæsari reconciliatus.

Et sic habitis consultationibus, de voluntate Domini Regis fuerunt *missi quatuor prælati*, dictum Dominum *FREDERICUM Ducem associando* usque ad præsentiam Domini Regis.

Quibus exeuntibus, *reversi* fuerunt *cum eodem* & illustribus Principibus secum, videlicet FREDERICO *Burggravio Nurenbergensi*, & Ludovico *Duce Bavariæ*. In quorum medio incessit, tenendo se manibus. Et veniendo ad præsentiam Regiam prosternati ad genua.

Idem Dominus FREDERICUS *Burggravius*, nomine ipsius FREDERICI Ducis Austriæ, & ob ejus rogatum, dirigendo sermonem ad Regem, dixit, Qualiter *avunculus suus, Dux* FREDERICUS *Austriæ, ibidem præsens, sibi supplicasset, pro intercedendo pro eo ad Regiam Majestatem*, videlicet, *quod de offensis, quas intulisset ipsi Regiæ Majestati, aut sacro Constantiensi Concilio, aut personis Ecclesiasticis, Monasteriis aut aliis personis temporalibus, nobilibus, ignobilibus, viduis, aut orphanis, peteret à Regia Majestate veniam & misericordiam, dans se & personam suam, dominia sua & bona sua & omnia, totaliter in manibus & potestate ipsius Domini Regis: Promittens Papam reducere velle, salvo tamen honore ipsius Ducis* FREDERICI *Austriæ, quod eidem Papæ neq; suis secum venientibus non inferatur vis in eorum personis sive bonis, quæ secum apportaverint.*

His dictis, præfatus Dominus FREDERICUS *Dux Austriæ* dixit, *quod ita peteret & humiliter supplicaret regiæ Majestati, ipsum recipere ad veniam & misericordiam: Ponens se & sua dominia & bona quæcunq; in manibus & potestate ipsius Regis, simpliciter disponendo ad omnem suam voluntatem:* Adjiciens ut prius, quod supplicaret, *quod Papæ & suis cum eo reducendis nihil fiat in persona & rebus eorum quas adduxerint.*

Quam humilitatem (humiliationem) serenissimus Dominus Rex recepit, *tangens* sibi *manum.*

Et ulterius manibus junctis idem Dominus FREDERICUS DUX promisit, nunquam per se vel alium seu alios, contra dictum serenissimum Dominum Regem quovis modo facere, sed sibi uti fidelissimus servitor esse.

Super quo venerabilis vir JOHANNES ABUNDI, advocatus nationis Germanicæ, nomine omnium & singulorum petiit sibi fieri per Dominos BENEDICTUM Protonotarium, Præpositum Albæ Regalis, & JACOBUM DE RHODINIS, protonotarium, *de Janua*, ceterosque protonotarios, notarios & tabelliones ibidem existentes, unum vel plura fieri, publicum & publica, Instrumentum & instrumenta, ad dictamen cujuslibet sapientis. Præsentibus ibidem dictis Dominis Prælatis, Abbatibus, Doctoribus, & nobilibus, aliisque quamplurimis in numero copioso.

Alia Congregatio Deputatorum quatuor Nationum *eadem die Dominica Rogate, d. 5. Maji, A. 1415.*

d. 5. Maj. A. 1415.

Diploma obligationis Friderici Austriæ Ducis erga Cæsarem Sigismundum, lectum ac publicatum.

Summam & fata dedit *Nauclerus.* *Constantia mediatoribus Principibus inter*

Regem & Ducem, Fridericus personaliter in manus Cæsaris se & sua omnia bona resignans, sub hac forma desuper literas tradidit: Nos Fridericus Dei gratia Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, &c. fatemur, nos indignationem regiæ Majestatis incurrisse. Eapropter nos & nostra in manus suæ Majestatis tradimus &c. in bona forma.

In MSC. Lipſ. & Goth. SUbsequenter *eadem die* fuit inter deputatos nationum de mandato Domini Regis *lecta litera obligationis* factæ per Dominum *Fredericum Ducem Austriæ* Domino Regi. Quam ipse Dominus Rex voluit inseri libris & actis concilii generalis & nationum, ad perpetuam mei memoriam.

Tenor vero dictæ *literæ obligationis*, factæ *per Ducem Austriæ*, de qua supra fit mentio, talis sequitur.

In MSC. Lipſ. Got. & Vind. Elſtrav. Parte I. f. 114. a. Conf. Windekii Hiſtoria Cæſaris Sigismũdi, MSC. Vindob. & Dach. inſr. Tom. V. nec non Theodoricus Vrie, ſupr. Tom. I. f. 199. Windek. & Dach. Germanicum exhibuere diploma.

Nos *Fridericus* &c. recognoscimus &c. quod, cum Serenissimi Principis &c. indignationem inciderimus, venimus propria inpersona ad conspectum dicti Domini Regis Constantiæ, & nos, personam nostram, territoria, homines, civitates, fortalitia, & quicquid habemus & tenemus, nihil excepto, ad suam regalem gratiam dedimus & posuimus, damus & ponimus, vigore præsentium, taliter, quod ipse nobiscum & cum eisdem facere & dimittere possit pro suæ regalis libito voluntatis. Quicquid etiam quælibet persona vel personæ, Eccles. vel seculares, nobiles vel ignobiles, seu in quacunq; dignitate vel statu constitutæ, nemine excepto, contra nos habeat actiones [artic. &] pro quacunq; causa, nulla excepta, hoc totaliter posuimus & dedimus dicto Domino nostro Regi. Sic & taliter, quod, quicquid ipse Dominus noster in hujusmodi jusserit, ordinaverit, aut dictaverit, pro sua voluntate per nos erga quemlibet faciendum, quod istud facere, adimplere & finire debemus, & volumus, absque omni dilatione & contradictione. Debemus etiam & volumus facere, & procurare, Papam Johannem ad Constantiam, aut alibi, quo Rex voluerit, præsentare, aut facere præsentari ad manus & potestatem dicti Domini Regis & sacri Concilii, quod præsentialiter Constantiæ celebratur, sperantes juxta verbum regium nobis desuper factum, quod Papa Johanes, & omnes qui secum Constantiam aut alium locum deputandum venerint, suarum vitæ & rerum ad eos pertinentium, quas secum ad locum hujusmodi duxerint, sint securi. Et si dictus Papa Johannes de papatu depositus fuerit vel cesserit, tunc in voluntate præfati concilii stabit, quomodo de suo statu provideatur. Nos etiam volumus & debemus in obstagio Constantiæ manere, quousq; dictus Dnus Johannes Papa Constantiæ, aut alibi, quo præfatus Dominus Rex deputaverit, pervenerit, ut supra scriptum est, & quousque omnes & singuli officiales, cives & incolæ munitionum civitatum & territoriorũ in Suevia, Alsatia, partibus Rheni, & Brisgovia, comitatu Tyrolis, circa Athesim & valle dicto Imthal, præfato Domino nostro Regi & imperio sacro fidelitatem promiserint, & juraverint ad sancta Dei Evangelia, ipsum respicere & sibi obedire, donec omnia & singula præmissa per nos totaliter & effectualiter facta fuerint & adimpleta. In quo etiam præfati Domini nostri Regis simplicibus literis, verbis aut intimationibus absque alia probatione debent contentari, aut quousque idem Dominus noster Rex eosdem fidelitate promissionum & juramentorum hujusmodi per se vel literas nunciaverit absolutos. Et in casu, quo præmissa in toto vel in parte non faceremus & adimpleremus, seu quomodolibet in toto vel in parte contra veniremus, quod Deus avertat, ex tunc præfatæ civitates, munitiones, territoria & homines nostri præfato Domino Regi & sacro imperio totaliter devolventur, & deinceps eidem tanquam justo, ordinario, naturali Domino suo subjicientur, & obedient, nostra & cujuslibet alterius contradictione non obstante, omnibus, fraude & dolo cessantibus totaliter in præmissis.

Hæc

Hæc omnia jurat (juro), & in majorem certitudinem rogat (rogo) certos Prælatos (Ludovicũ Ducem Bavariæ & Burggravium de Nurenberga &c. Vide supr. *Theod. Vrie*, Tomo I. f. 200. *Windek.* & *Dacher.* infr. Tom. V. In *Lipf. MSC. altero*, fidejusfores Ducem Ludovicum Palatinum Rheni, Fridericum Burggravium) ad sigillandum.

Sigismundus Imperator numerosos exercitus in ditiones Friderici Austriaci misit, quas occuparent.

Eadem die Dominica, 5. Maji & sequentibus, A. 1415. *d. 5. Maji A. 1415.*

In deditionem hodie receperat Fridericum Sigismundus, cum omnibus Friderici ditionibus. Quos ergo jam ante instruxerat exercitus Imperator, hodie statim, deditione facta, in terras Friderici misit, illas occupatum.

In *Vindobonensi Dorriano Codice* hæc expeditio his delineata verbis:

In MSC. Vindob. Dorr. Anno, die, mense, quibus supra, *Dominus noster Rex produxit exercitum magnum contra dictum Dominum Fridericum, Ducem Austriæ, in diversis locis sui dominii, ita, quod obtinuit omnes civitates, munitiones, oppida, castra, & fortalitia, quæ habuit in superioribus partibus Alsaltiæ & Sueviæ, nullo demto, circa montes uig. ad Athesin. De quibus munitionibus & oppidis Schvicerii cum sociis eorum multa obtinnerunt & obtinent.*

In hanc tempestatem oculos vertit & Nauclerus, his usus verbis: *Eodem tempore Consistorium Provinciale in Turgoja Cæsar pro certa pecuniarum quantitate impignoravit Constantiensibus. Duxq; Fridericus scripto omnes sibi subditas civitates absolvit. Qua gratia venerunt cives de Schaffhusen, Rudolfzel, Dissenhoven, Neuenburg, Brisach, & pleræq; aliæ civitates, dedentes se Cæsari pro Imperio acceptanti.*

De his vero belli negotiis, occupatisque Austriaci terris, Historici alii longos pertexuere sermones.

Congregatio publica. Ablegati è Concilio Principes & Episcopi Friburgum, ad Johannem Papam 23. quem accusatum & citatum dicerent, & Constantiam ad Concilium retraherent.

die Jovis, Festo Ascensionis Domini 9. Maji, A. 1415. *d. 9. Maj. A. 1415.*

Augaria hujus ad Concilium reditus Johannei, per Concilium imperandi, recensita supra *Tomo II. Parte XIV. Cap. XX. f. 317.* Hac conditione atque lege à Cæsare nuper Dominica Rogate in gratiam receptus *Fridericus Austriacus*, ut Johannem, quem è Concilio abduxerat, Concilio restitueret. Quod & præstare contendit, ut potuit. Concilii vero ut uteretur in ea re consilio & auxilio, deputati è Concilio, qui adjuvarent, Papamque Johannem è fuga & inconstanti animi proposito ad Concilium & Constantiam retraherent, ac a dignitate Papali sensim sensimque descendere jubeent. Cum ergo celebraretur *festum Ascensionis Christi*, descensus Johannis Papæ proximus imminuit.

Cerretanus: *Die nona Maji deputati sunt à Concilio Fridericus Burggravius Nurenbergensis, & Bisuntinus ac Rigensis, Archi Episcopi, qui Johannem Pontificem Constantiam reducerent.*

Quo successu illud molestum negotium hi tractaverint, constabit ex sequentibus præcipue *die* 17. *hujus mensis*, quo Friburgo Cellas eum perduxerunt, effeceruntque, ut *die* 18. custodibus in Concilio electis, *die* 20. feralem ab illis custodibus

custodibus audiret suæ non minus custodiæ sententiam, ac usu Papalium jurium se publice in Concilio privatum.

Ceterum Fridericum Burggravium Norimbergensem, Concilii Legatum, à Sigismundo Cæsare *trecentis armatis* ad negotium perficiendum fuisse instructum, *ad securiorem Papæ custodiam*, ex *Actis Victorinis* refert *Spondanus*.

Legati Concilii, Fridericus Burggravius Norimbergensis, & ArchiEpiscopi, Bisuntinus & Rigensis, ad Papam delati, qui citatum ad reditum persuadere conatentur,

d. 10. *Maji.* *A.* 1415.

die Veneris, 10. *Maji*, *& sequentibus*, *A.* 1415.

Armis licet instructus Fridericus Burggravius, non *arma* statim adversus Johannem movit. Sed, custodiâ remotius positâ, ne elaberetur, omni verborum apparatu *ad implenda concilii desideria* eum invitarunt Legati, cum Austriaco, eum pridem jam accusatum & citatum esse, denunciantes. Quo autem affectu novi hi Legati à Papa excepti fuerint, qui die proximo 13. Maji, in Concilio ipsum comparere ac respondere jubebant, ex *Actis Victorinis* refert Spondanus: *Quod nimirum vultu specie læto illos exceperit, paratum se esse dicens, ire cum iis Constantiam, agreq; multum ferre, quod sic Concilium malo consilio deseruisset.*

Ast fucus. Nec enim mens Constantiam redeundi. Ut ergo novo consilio umbra pararetur, invisum Procuratorium sequenti die tribus Cardinalibus in Concilio misit, ut malæ suæ causæ, coram judicio Constantiensi patronos se præstarent, proximo die 13. Maji, ac deinde. Interim dies abiere plures, usque ad 17. donec ex arce Friburgensi ad proximiores Concilii Constantiæve limites eum perducere verborum machinis possent Legati. Cui semper adhuc animus sederet, si posset, ad Burgundos elabendi. Quod haud obscure innuit *Theod. de Niem*, supr. *Tom. II. Parte XV. lib. II. c. XVII. f.* 409.

Constituti Commissarii, in causa Ladislai Jagellonis Regis Polonorum, & Prutenorum Ordinis Teutonici.

d. 11. *Maji* *A.* 1415.

die Sabbati, 11. *Maji A.* 1415.

Inter Poloniæ Regem Ladislaum, recens ex paganismo ad Christianismum conversum, & Magistrum Ordinis Teutonici in Borussia, dira proxime ante Concilium Constantiense suborta erant bella. Qua de re videatur supra *Tomo III. Parte II. f.* 6. *seqq.* Quanquam verò per Cæsarem Sigismundum lis fuisset composita, ex cinere tamen resurgentes scintillæ aut flammæ ex Constantiensi Concilio opem postularunt. Constantiam igitur res devoluta, examinata & discussa, in Theologico politicam abiit controversiam: *Utrum nomine religionis propagandæ aliorum regiones bello invadere fas sit?* Quod Pruteni affirmarant. Poloni pernegabant. Vid. infra *die* 5. *Julii.*

Hoc igitur *mense Majo* & hæc causa examinari cœpta: Commissariis constitutis.

Cerretanus. *Die* 11. *mensis Maji*, *Patres deputarunt judices Commissarios inter Ladislaum Regem Regnumq; Poloniæ, & inter Prutenos Marianos, Franciscum Cardinalem Florentinum, & duos ex singulis nationibus: Scil. ex Anglicana, Wernardum de Plagina* [*Wernerum de Plancha*] *Decretorum doctorem, & Johannem Thoonos, in Legibus Licentiatum. Ex Gallicana, Johannem de Matischone, LL. doctorem & Adamum de Camerarco, in utroque Jure Licentiatum. Ex Germanica Lambertum de Stipite Decretorum Doctorem, & Conradum Seglauer, Decretorum Doctorem. Ex Italica, Antonium Episcopum Concordiensem, Decretorum Doctorem, & Gasparum de Perusio Legum doctorem.*

Johan-

Johannes Papa, in Concilio jam accusatus, Friburgo misit malæ causæ suæ criminalis Procuratores vel Patronos, tres Cardinales.

d. 11. *Maj.* *A.* 1415.

eodem die Sabbati, Vigilia supplicis Dominicæ Exaudi, 11. *Maji*, A. 1415.

Tertius hic mensis erat à secundo Martii die, quo cedere Papatu visus Johannes Papa, ex quo vel centies à præsente & absente Johanne cessionis suæ utpote *bonæ causæ Procuratores* postularat Cæsar Sigismundus cum Concilio. Ast eludi spem suam mille modis, intellexerat Cæsar, desiderata pace longius dilata, vel & magis & periculosius turbandâ. V. supr. *d.* 1. *Maji.* Quando autem Fridericus Austriacus Cæsari se dedere jussus, cum promissa Papæ deditione, Friburgi hærens *Johannes*, publice jam accusatus & citatus, per novos legatos pridie ad Papam admissos arte vel marte ad Concilium retrahendus, postquam superius suum Procuratorium fuerat repudiatum, nunc *Procuratores constituit quosdam malæ suæ causæ*, qui jam erat accusatus, *Cardinales.* Quo fine diploma aut *bullam*, *bulla inaniorem*, Constantiam *hodie* Friburgo ablegavit, immemor, se mox in Concilio damnatum, & die 20. hujus mensis captum iri.

Quam invisam novi *Procuratorii bullam*, Cardinalibus Constantiæ mox commendatam, in sessione proxima, die 13. Maji, exhibere quidem Concilio annisus *Franciscus Zabarella, Cardinalis Florentinus.* Ast absque omni fructu, cum jam res esset desperata, artesque Johannis, pridem de multis facinoribus accusati, nullam Concilio fidem de Johannis Papæ bullis & pœnitentia reliquissent.

Quamque caute ac lepide omnes definiti Cardinales difficile hoc *in causa criminali procuratorii onus* in publica sessione à sese devolverint, videatur infra *die* 13. *Maji.*

Cerretanus dati hodie talis non desiderati Procuratorii Johannei testis. *Die* 11. *Maji Johannes Papa datis Friburgi literis, tres ex Cardinalibus, scil. Petrum* [de Alliaco Cameracensem] *tit. S. Chrysogoni, Guillelmum* [Philasterium, Cenomanensem] *tit. S. Marci, & Franciscum* (Zabarellam, Florentinum) *SS. Cosmæ & Damiani, Procuratores suos instituit, formulamque Procuratorii ipsis misit.*

Congregatio Cardinalium

d. 12. *Maj.* *A.* 1415.

die Dominica Exaudi, 12. *Maji*, 1415.

De quæsito à Johanne Papa malæ suæ causæ apud tres Cardinales patrocinio.

Qui jam ex accusatione, & multorum criminum suorum in Concilio facta denunciatione, secutaque citatione ad judicium & tribunal Constantiense, augurari poterat, actum mox fore secum & cum omni sua libertate vel & dignitate, *Patronos desperatæ suæ causæ* heri optaverat tres Cardinales. Hi proinde quid in hac re ambigua & ancipiti faciendum deliberarunt, cum scirent, imminere & alteram Johannis citationem pararique criminosam inquisitionem. Quorum aliqui, à Cardinalibus admittendum, alii repudiandum esse judicarunt. Quemadmodum in sequentis diei sessione ipsi Cardinales *suæ hujus deliberationis fata* sunt confessi, dissensum inter se de his haud dissimulantes.

Congregatio Nationum

eodem die Dominica Exaudi, 12. *Maji*, A. 1415.

De rebus proxima sessione expediendis.

Citatus *nuper* in diem crastinum Johannes, se de variis criminibus purgaturus. Nunciaverant hoc Johanni Conciliares ac potentes legati, *d.* 10. *Maji.* Procuratores proinde perditæ hujus suæ causæ in Concilio quæsiverat *heri* Cardinales nonnullos. Instabat ergo indictus dies, quo comparere debebat Con-

stantiæ, crastinus nimirum. Quod autem prævíderent Cæsar & Concilii antistites, nunciis Legatorum Friburgo missis abunde confirmati, non compariturum Papam, deliberatum *hodie*, quid porro de Johanne contumace per Concilium statuendum, & quo pacto, quibusve formulis denuo citandus. Universa igitur *in crastinam* imo & *perendinam Sessionem* per Nationes instructa.

SESSIO GENERALIS IX.

In templo Cathedrali, Præsente Cæsare SIGISMUNDO, Præside Johanne Ostiensi, Cardinale, Vice-Cancellario.

d. 13. *Maji.* *A.* 1415.

die Lunæ, post Exaudi, 13. *Maji*, *A.* 1415.

Johannes Papa secunda vice publice citatus. Et inquisitio contra illum decreta.

In Codice Vindobonensi Dorriano hæc in fronte inscriptio, cum rerum summa.

Sessio generalis IX in ordine, celebrata die Lunæ, XIII. Maji, M CCCC XV, In qua citatio contra Papam declarata fuit executa, cum debita instantia.

In MSC. Vindobon. Dorr.

Die Lunæ, XIII. mensis Maji fuit sessio generalis in loco consveto, missâ celebratâ cum ceteris solennitatibus. In qua primò *Universitas Parisiensis* se recommendari fecit huic sacro Concilio per quendam suum Ambassiatorem, *M. Gentiani, Monachum ordinis S. Benedicti.*

Postea Henricus de Piro procurator retulit, *citationem contra Papam Johannem* decretam fuisse executam, quorum tenor in originali continetur.

Vid. infra.

Item in eadem sessione petiit Henricus de Piro procurator deputari aliquos, qui *juramenta testium* recipiant super notorietate criminum, in quibus Johannes fuit accusatus, & qui eosdem testes examinarent & referrent. Quod & factum fuit per certos Cardinales & alios Prælatos.

Deinde Dominus Florentinus Cardinalis proposuit, quod Johannes Papa miserit Dominis Cardinalibus unam *bullam*, in qua constituit *procuratores* suos *ad* agendum & *defendendum* nomine sui coram sacro concilio *super impositis* & imponendis sibi *criminibus* per dictum concilium. In quo instrumento constituit Dominum Cardinalem Cameracensem & S. Marci & eundem Florentinum Cardinalem.

Super quibus dictus procurator, Henricus de Piro, respondit, quod *citatio* esset *personalis*, & *causa criminalis, in qua nullus admittitur procurator.*

Deinde duo Cardinales & quinque Prælati de nationibus, unà cum Proto-Notariis & notariis nomine sanctæ synodi iverunt ad valvas ecclesiæ ad inquirendum, si Papa Johannes ibi foret, ad requirendum ipsum & suos sequaces. Qui reversi fecerunt relationem, quod nemo comparuerat. Super quibus omnibus procurator petiit instrumentum &c.

Item dicta sancta Synodus deputavit certos judices seu Commissarios ad audiendum omnes causas, ad dictam sanctam Synodum per appellationem vel querelam deductas, seu deducendas, scilicet Dominum Matthæum, Episcopum Pistoriensem, Italicæ nationis, Johannem episcopum Vaurensem, nationis Gallicanæ, Jacobum, Episcopum Plocensem, nationis Germanicæ, & Robertum Episcopum Sarisburiensem, nationis Anglicanæ. Quibus dat potestatem in prædictis citandi in curia & extra, & alia faciendi, quæ ad dictas causas pertinent & pertinebunt, usque ad sententias definitivas exclusivè.

Item dicta sancta Synodus constituit & deputat in sessionarios pro ordinando Dominos Prælatos, Ambassiatores & ceteros in sessionibus concilii, prout

fieri